

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Oratio De Ortu, Vitae Curriculum Et Beata ex his terris migratione Reverendi viri Pietate, Eruditione, Sapientia & rerum usu praestantis Christophori Bideri Abbatis Adelbergensis**


**Hermann, Christoph**

**Tübingae, 1597**

In nomine tuo dvl. cis lesv

[urn:nbn:de:bsz:31-131212](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-131212)

I  
IN NOMINE TVO DVL-  
CIS IESV.

 ET VSTVS ET LAVDABILIS MOS EST ab antiquis inde temporibus in populo DEI vsurpatus, viros præclaros & passim benemeritos feliciter defunctos publico ornare Elogio. Non ob id solum ne vnà cum vita memoria acceptorum beneficiorum extinguatur: sed multò magis ut plures ipsorum exemplo ad æmulationem prouocentur.

Laudemus (*inquit*) sapientissimus ille Γνωμόλογος vi. *Syrach. 44.* ros illustres, & quibus prognati sumus patres nostros, Dominus per hos magnam gloriam acquisiuit iam inde à seculo magnificentia sua. Qui oracula diuina annunciarunt, qui populum consilio rexerunt, eaque intelligentia quæ literis erudita ad rectionem populi plurimum valet, quorum sapientes sermones in eorum doctrina habiti sunt.

Prosecutus est lachrymis & luctu publico D. AMBROSIVS Valentinianum defunctum, impensè laudauit in funere THEODOSIVM vtrunque Imperatorem, vtrunq; erga Ecclesiam & Rempub. optimè affectum.

Et de hoc quidem, Dilexi (*inquit*) virum misericordem, humilem Imperio, corde puro & pectore mansuetum præditum, qualem Dominus amare consuevit. *de obitu Theodosij, Tom. 3. fol. 51.* Dilexi virum qui cum iam corpore solueretur magis de statu Ecclesiarum quàm de suis periculis angebatur.

Elaborauit & in hoc argumenti genere aliquoties Hieronymus.

Liceat ergò & nobis nostros producere Heôas, non armis, sed literis claros & pietate insignes, non manu, sed consilio promptos.

A 2 Quos

2 Oratio funebris D. M. Christophori

Quos inter ego proponam Reuerendū virum **CHRISTOSTOPHORVM BINDERVVM** Abbatem Adelbergensem, affinem meum honorandum, qui nuper fato suo feliciter functus placidè ad Dominum migravit.

Meretur hoc viri pietas, merentur insignes aliæ virtutes quibus vndique fuit conspicuus: amor erga patriam, prudentia haud vulgaris, in prospiciendo perspicasitas, in dandis consilijs expedita celeritas, in iisdem efficiendis singularis dexteritas. Merentur excellentes literæ quibus fuit eruditus.

Debetur hoc meritis ipsius, quibus & publicè & priuatim de omnibus & singulis bene mereri studuit.

Ad me quod attinet, ut alios taceam, fateri cogor, merita eius in me haud vulgaria extitisse.

Studiorum meorum Author ipse fuit, viam & rationem in iisdem progrediendi monstravit, primus ad Academiam duxit, bonis & doctis viris commendavit, ad functiones & honores temporis successu aditum aperuit.

Si ergò quid est in me ingenij, si quæ dicendi exercitatio, quæ vtraque quàm sint exigua & sentio & fateor, earum rerum omnium vel in primis hic **BINDERVS**, fructum à me repetere suo quodam iure & potest & debet.

Quod si oratio mea & viri amplitudini & vestræ expectationi minus responderit, confido eam vos gratitudinis meæ rationem habituros, ut præ ea veniam detis infantia: Dabo ego vicissim operam ut quod verborum splendori & orationis copiæ decrit, id rerum magnitudine & grauitate compensetur.

Natus est ergò noster hic **CHRISTOPHORVS BINDERVS,**

Binderi Abbatis Adelbergensis.

3 700.

DEVS, ut inde ordiamur unde ipse viuendi initium sumpfit, die qui infantum ab Herode cæſorum memoria facer est, Anno nati Christi decimo nono supra ſesqui milleſimum, GRETZINGÆ Nyrtingenſis præfecturæ, in agro Wirtembergico, oppidulo obſcuro alioqui & parum celebri, fertili tamen & copioſo, utpote cui nihil ferè rerum ad vitæ ſuſtentationem neceſſariorum deſit.

Rarius ſanè ex celebrioribus urbibus claros viros *Hieremia. 1.* Deus producit. Tenuem patriam conſpicuam magis facit illuſtris vir, quàm illuſtris patria virum.

HIEREMIAM illum magni nominis Prophetam inde ab utero matris ſanctificatum, & priuſquam formaretur ab eocognitum, dedit Anatoth, deſpectus viculus, Neque CHRISTVS Seruator in regia Metropoli naſci voluit, ſed in Bethlehem, quæ paruula dicitur in millibus Iudah. Verum ab hoc ſœlici fœtu eam nominis celebritatem conſecuta, ut Euangelifta inuerſo nomine ſcripſerit, *ἡ δὲ ἀμαρῶς ἐλαχίστη*, cùm ex ea prodierit *Matth. 1. v. 6.* DVX qui paſcet populum meum Iſrael.

Et qui natalibus illudebant *χλευάζοντες* patriam ex *Iohan. 1. v. 4. 6.* probrabant, dicentes: Ex NAZARETH poteſt aliquid *ἔ 7. v. 52.* boni eſſe? Scrutare & vide ex GALLILÆA Prophe- tam non ſurrexiſſe.

Parentibus procreatus eſt, tenuis quidem fortunæ hominibus, honeſtis tamen & bonis GEORGIO BINDERO, & CATHARINA BAINHARTIN Dentzlingenſi coniugibus. Et ille quidem à teneris bonis literis excultus fuit, in quibus tantos progreſſus fecerat, ut luce Euangelij LVTHERI miniſterio exorta & repurgatione Eccleſiarum in Wirtembergia facta, eam cupidè

4 Oratio funebris D.M.Christophori

amplexus inter primos Ecclesiarum ministros receptus fuerit. In quo vitæ genere ad decrepitam usque ætatem & vitæ finem, qui in annum post natum Christum. XLVIII. supra sesquimillesimum incidit, constanter perseueravit.

Sed quod de patria diximus, ita neque de parentibus anxie laborandum est, qui si obscuri fuerint, nihil nocet liberis, si per virtutem & pietatem inclarescere studuerint, ut & vice versa nihil prodest natalium splendor & nobilitas, ubi à maiorum moribus degenerauerint.

Vt ut autem hæc se habeant BINDERORVM familiam non obscuri nominis inter suos extitisse, ex eo constat quod FARNEROS cognatione proximè attigerit, ex quibus prodierunt.

*Celebris fuit sub  
annum Christi,  
1500. Imp. Ma-  
ximiliano I.*

In primis nominatissimus ille BENEDICTVS FARNERVS I.C. Canonicus Stutgardianus & Ducalis Consiliarius, renascentium sua ætate literarum & literatorum hominum Mecænas & fautor eximius.

GEORGIVM certè BINDERVM virum fuisse solentem & ea, qua par est, fide & taciturnitate, luculentum est argumentum, quòd HVLDRICHVS Princeps, à socijs fœderis Sueuici patria ditone pulsus & diuturno exilio mulctatus, fidei ipsius opera in speculandis & cognoscendis consilijs & machinationibus aduersariorum plurimum usus est, quæ per certos & fidos homines explorata & ad ipsum delata (quos inter primi nominis erat MELCHIOR THVMIVS WOLFSCHLUGERVS homo πολύτροπος & versatilis) tanto artificio tegere & dissimulare nouerat, ut nulla ne minima quidem huius rei suspicio in ipsum caderet,

Vnde

## Binderi Abbatis Adelbergenfis. 5

Vnde ea quæ postea in filio enituit sagacitas here di-  
tario ad ipsum iure transiisse censenda est.

Sed ad CHRISTOPHORVM, de quo est instituta, no-  
stra redeat oratio. Is paternæ domi educatus, cum egre-  
giam indolem præ se ferret, prima literarum elementa  
edoctus, & præceptis pietatis institutus, bonisque mo-  
ribus imbutus Nyrtinam primò vicinum oppidum ad  
scholam triuiale dimissus fuit.

Factum hoc est ætatis suæ anno X. qui erat à natali  
Christi, X XIX. supra sesquimillesimum, ubi non inte-  
gro anno permansit. Mox inde Kürchemium transla-  
tus est, ubi schola frequentior & discipulorum nume-  
rus erat auctior, sub PRÆCEPTORE VRBANO Pres-  
bytero quodam, viro pio, humano, qui cæteros con-  
facerdotes eruditione excellebat, puerosque blandè  
tractare nouerat. Is vel ob id deserta priori statione ad  
scholasticum vitæ genus animum appulerat, quod ei  
Pontificij errores, luce Euangelij detecti sordere, adeo-  
que abominationi esse inciperent, in primis scædæ illæ  
Missarum nundinationes. Cumque se hoc nomine qui-  
busdam suspectum esse videret, neque tutò amplius ibi  
versari posse animaduertet (seuera enim tunc tem-  
poris in illos, qui se Euangelicæ doctrinæ affines esse vel  
minimo indicio ostenderent, iudicia exercebantur) de-  
serta patria in vicinam Heluetiam profugit, ubi in agro  
Tigurino tantisper se continuit, donec facta rerum  
conuersione & pia Ecclesiarum ad normam verbi di-  
uini instauratione, redux & ipse in Kürchemij vicinia,  
Ecclesiæ ministerio pluribus annis fideliter præfuit, &  
tandem exactæ ætatis grandævus senex, pedibus æger &  
plerunque lecto affixus, nulla post se relicta sobole, piè  
& pla-

6 Oratio funebris D.M. Christophori

& placidè in Domino obdormiuit. Sit eius in benedictione memoria.

A teneris (*inquit ille*) assuescere multum est. Magnum enim mihi credite ad vniuersam vitæ rationem pondus affert fidelis liberorum institutio, ex qua tota ferè dependet: quæ tanquam scintilla perpetuò lucet & instar optimi seminis in multos annos uberrimos fructus profert.

Quo nomine tantopere nobis in sacris literis commendata adeoque inculcata est *παρδαγωγία*. Nam ut fundus quidem sit optimus, cuncta molimur, eumque fideli viro magno cum studio tradimus, & agasone atque mulionem, Procuratoremq; & Dispensatorem qui nobis magna benevolentia afficiatur, inquirimus: Cæterum quod nobis charissimum omnium est negligimus, neque curamus quo pacto filium nostrum fideli cuipiam viro committamus. Et certè nulla nobis possessio, nullus fundus æquè gratus ac charus esse debet, quippe hæc omnia filijs quæruntur.

Igitur maior nobis possessionum cura est quam eorum quorum gratia comparantur, quod profectò absurdissimum atque stultissimum est.

Exerceamus igitur ad virtutem atq; pietatem molles filiorum animos: cætera omnia secundo loco quæramus.

Nam siquidem illi improbi fuerint, nihil illis pecuniæ proderunt, sin pij, nihil ex paupertate lædentur.

Exacto Kürchemij biennio & ultra Wirciburgum, Ostrofranciæ caput à patre ablegatus, ad GEORGIVM FARNERVUM consobrinum magnæ virtutis virum diuertit, qui sub Præsule CONRADO, ex nobili TVN-

GENO-

CHRYSOST.  
in 1. Timoth.  
Omelia 9.  
col. 1207.

Binderi Abbatis Adelbergensis. 7

GENORVM profapia oriundo, libellorum supplicum *Fuit is in ordi-*  
Magister, Cancellarium vulgò vocant, designatus erat, *ne Episcoporum*  
à quo benignè exceptus & beneuolè habitus, ea quæ stu *LXII. MVNST.*  
dijs puerilibus deerant compleuit. Inde ad suos redijt. *fol. 946.*

Annus erat post natū CHRISTVM supra millequin-  
gentos. XX XIV. quo Princeps HVLDRICHVS re-  
cuperata ditione auita de Academia ferè collapsæ in-  
stauratio ne & pia Ecclesiarum reformatione vnicè sa-  
tagebat, conquisitis ad eam rem undique viris in omni  
artium & scientiarum genere doctissimis. Eo ipso anno  
à patre Tubingam ad pleniorē ingenij cultum & qua-  
si mercatum doctrinæ uberiorem deductus, in contu-  
bernium ab Authore institutionis Martinianum nun-  
cupatum, cuius beneficium ei ab ijs penes quos eius rei  
potestas erat impetrauerat, cooptatus fuit.

Aequales & commilitones nactus est qui temporis  
successu clari euasere IACOBVM BEURLINVM Dorn-  
stadiensem, insignem theologum, disputatorem subti-  
lem quem postea controuersias Religionis, rotundo  
ore & arguta voce explicantem sæpius audiimus. HEN-  
RICVM WEICKERSREYTERVM Francum, itidem  
Theologum, ex Euangelicis primum HIRSAVGIA  
Abbatem factum: CHILIANVM BERTSCHIN Iure-  
consultum & Principis Consiliarium, virum in rebus a-  
gendis dextrimum, multisque pro Principe & patria  
legationibus egregiè perfunctum: IOHANNEM SE-  
CHELIVM eiusdem ordinis & professionis, excellenter  
gracè doctum. HENRICVM VVOLFIVM, Norica  
Reipub. Medicum celeberrimum, ceteros omitto.

Aderat & PETRVS BRVNVS exactæ ætatis senex,  
ex superioris seculi reliquijs Scholasticæ Theologiæ D.

B

quana



8 Oratio funebris D.M. Christophori

quam & in Academia aliquando tradiderat, Eremitani Schonbuchiani cœnobij ab EBERHARDO sapiente illo, qui primus in familiam suam Ducale decus attulit, fundati & D. P E T R O nuncupati, non longè ante Præpositus.

Is multa sapienter monebat: Erat frequens in ore  
*Fuit GABRIEL, Præpositus Anno Christi, 1492.* eius GABRIEL BIEL, clarissimus sui seculi Theologus, de quo, si quando esset hilarior, utpote maiore & Antecessore suo sub cuius disciplina educatus fuerat, de studijs priuata diligentia, meditationibus, lectionibus, concionibus, abstinentia, adeoque uniuersa vitæ ratione multa præclarè diserebat, & in animis adolescentum desiderium memoriamque viri renouabat.

Prodest profectò plurimum & ad virtutis studium & solidam eruditionem comparandam conuersari bonis & virtute præditis, quorum sedulitate & industria ad imitationem exciteris. Mouent enim exempla quæ in oculos incurrunt, & quasi violenti fluminis impetus abripiunt, atq; ad idem faciendum impellunt. Ferrum (*inquit sapiens*) ferro acuitur, & vir exacuit faciem amici sui. Ingenium ingenio excitatur, solent enim inter se adolescentes studiosi & *Φιλομαθεῖς συζητῆν* neque se unquam interquiescere sinunt.

*Proverb. 27. vers. 17.*

*Theognis congruit cum dicto Proverb. 13. v. 20.*

*Qui graditur cum sapientibus sapiens erit: Qui est amicus stultis, conteretur.*

Et ut quisque est gloriæ appetens, & maximè laudis auidus, ita sibi se à tergo relinqui & inter nouissimos computari longè turpissimum esse iudicat.

*Ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἀπὸ ἑσθλῶν μαθήσεαι, καὶ δὲ κακοῖσι Συμμιχθῆς, ἀπολαῖς καὶ τὸν ἔοντα νέον.*

*Conuersare bonis & ab his bona plurima disces:*

*Cum prauis viuens tu quoque prauus eris.*

Et certè fuit apud nostrum hunc tanta accepti beneficii,

Binderi Abbatis Adelbergenfis. 9

ficij memoria, ut eam quoad viueret nunquam animo deponeret, & tandem etiam transmiſſo pro ſuis facultatibus mediocri congiario, erga collegium ſuam gratitudinem publicè teſtaretur.

Anno Chriſti  
84. ſupra 1500.

Accidit tunc temporis ut is qui Tubingenſi Eccleſiæ erat præpoſitus, idem & recepto more Academiae Cancellarius religionis mutatione offenſus, cum quo conceptam animi indignationem declararet, in præſentia aliud non reperiret, conuaſatis rebus ſuis in vicinam Auſtriacorum ditionem ſe conferret ablatis ſecum Academiae conceſſis priuilegijs, neque ullis ſe ſinebat emolliri precibus, quamuis obnixè peterent ut licentiam concederet meritis pro more conferendi honores & decernendi titulos dignitatum ſcholasticarum. Hoc enim facere pertinaciter reſuſcitabat. Quæ ob id ad tempus in ſuſpenſo permansere.

I. CAMERA-  
RIVS in narra-  
tione de vita ꝑ.  
p. pag. 163.

Id & noſtro remoram attulit ut tardius progrediretur nulla quidem cum ſtudioſorum ſuorum iactura, quæ quò diutius protracta, eò diligentius fuere exulta ſub fideliffimis Præceptoribus IOACHIMO CAMERARIO & IACOBO SCHEGGIO utroque in ſua profeſſione principem locum adeptos.

Conſtat ipſum Ariſtotelicis de præcipuis Philoſophiæ partibus, diſputationes præclare intellexiſſe & eam aſſecutum eſſe latinè ſcribendi facultatem, ut quæ vellet, ciuili quadam facundia & familiari dictione exprimeret.

Græcas literas, quæ ea ætate rariores erant, tenuius attingit, cuius quidem inſtituti ita eum poſtea poenituit ut ingraueſcente iam ætate ad eas quaſi poſtliminio redierit, quod & Catonem. Maiorem feciſſe, qui LX de-

B 2 muna

10 Oratio funebris D.M.Christophori

mum ætatis suæ anno græcas literas didicerit, M. Cicero testatur. Comperta narro.

Vtramq; lauream cum laude consecutus est, & eam quidem, quæ prima dicitur, Anno nati IESV CHRISTI, XXXVIII. Alteram verò, quæ ob consummatum philosophiæ studium, Magisterium nominatur, Anno, XLI. supra M. D.

Inde ad S. literarum studia transfuit, quæ sequenti biennio fideliter excoluit. Præceptore præter cæteros imprimis usus doctissimo & eloquentissimo viro ERHARDO SNEFFIO, quem & pro concione in Ecclesia & in schola docentem, attentissimè audiuit.

Enumerauimus hæcenus ea quæ ad educationem & priuatam ipsius institutionem faciunt, Et huc usq; quidem sibi ipsi vixit. Restant de ipso commemoranda alia longè maiora, postquam publicum vitæ genus ingressus est, & alijs prodesse cœpit. Ex eo enim quæ cuiusque sit industria maximè conspicitur. Et sæpe quidem fieri solet ut de alicuius virtute, ingentem animo opinionem homines concipiant, quæ ubi ad actionem ventū est, expectantes frustratur & fallit. Verissimè enim dictum est, Magistratum solere virum ostendere.

Atque fuit hic noster à natura multis egregijs tam animi quàm corporis dotibus exornatus, corpore procerò, statura excelsa & heroica, membris robustis & probè compactis, vultu graui, quiq; præ se ferebat singularem oris dignitatem, voce virili & quæ membrorum maiestati responderet. Inerat ingenium capax, iudicium acre & perspicax, quæ utraque studio & diligentia accedente rerum usū plurimùm expoliuit & adauxit.

Sic

Binderi Abbatis Adelbergensis. II

Sic igitur ex Academia, quæ est ingeniorum quasi officina in publicum productus sacris concionibus præfectus est, primò **DENCKENDORFII** contubernium, id est Mistarum cum adiuncto pago in vicinia Esselingæ Imperialis ciuitatis, cuius sodales pro superioris seculi varia superstitione à primo fundatore Custodiæ sepulchri Dominici destinati fuere. Insigne ordinis & professionis erat crux rubra duplicata, quam in pectore tunicis assutam præferebant. Præpositus eo tempore fuit nominatissimus ille inter suos, prudentia, rerum usu, vitæ splendore & liberalitate domi & foris conspicuus, literarum & literatorum fautor egregius **HVLDRICHVS FABRICIVS**, aliàs **FEELEYSEN**. Huic noster illa pristinæ professionis hominibus, hinc inde dispersis, collega fuit additus qui Ecclesiam curaret. Quam recens plantaram fideli institutione & bono vitæ exemplo confirmauit, ædificauit, adauxit, ut mox ob egregiè nauatam operam publico iudicio altiori loco dignus censeretur.

Breui ergò inde **STVTGARDIAM** Wirtembergicæ ditionis caput, ubi Principis habitatio & Aulæ sedes est, ubi & Prouinciale consilium suum habet domicilium, quo ingens ex omni prouincia hominum frequentia varijs de causis quotidie ferè confluit, auocatus sacris concionibus habendis præfectus est, ut ibi tanquam in luce hominum & velut in amplissimo quodam theatro versaretur. Pastore usus est **VALENTINO VANNIO**, quem ab eo tempore quoad vixit semper maximi fecit.

Erat tum temporis adhuc superstes Pater **GEORGIVS** atate iam grauis & laboribus fessus, ea de causa sefunctione sua abdicare cogitabat, ut quod reliquum esset

12 Oratio funebris D.M. Christophori

vita DEO & sibi viueret & animæ salutem consuleret. Ei in primis alius quidam substitutus fuit, sed cum is breui discederet, eius locum filius, noster HIC CHRISTOPHORVS ambiuit, successorem se patri designari postulans singulari quodam patriæ amore pellectus.

OVID.  
ELEG. 4.

*Nescio (inquit ille) qua natale solum dulcedine cunctos  
Ducit, & immemores non sinit esse sui.  
Quid melius Roma? Scythico quid frigore peius?  
Huc tamen ex illa Barbarus urbe fugit.*

Memini me ex ipso audire se patriam, licet non deessent aliæ commoditates, omnibus alijs locis prætulisse, ita ut extra eam alibi degere minus suaue esse iudicaret. Et quod voluit Illustrissimi Principis benignitate & Senatus Ecclesiastici benevolentia facile obtinuit. Neque minori cum desiderio à suis fuit exceptus, qui illum toto tempore sequenti suspexere, & non secus quàm si pater esset summa obseruantia dilexere & colere.

Eò igitur concessit circa Annum natiuitatis CHRISTI, XLVI. adhuc cælebs, cum iam ætatis annum ageret vicesimum septimum: ibi cum res ipsius ita ferrent, ut ad constituendam rem familiarem & domesticam diutius commodè carere non posset, ad nuptias animus adiecit. Non deerant inter illa initia Ecclesiasticæ reformationis quibus coniugium Ministrorum Ecclesiæ minus probaretur, & ex superioris seculi moribus illicitum esse censerent, & parum à fornicatione distare arbitrarentur.

Neque enim tum ea qua hodie pollent facilitate in obtinendis coniugijs ministri Ecclesiæ potiebantur. Tanta vis est erroris inueterati, ut ubi semel in animis homi-

Binderi Abbatis Adelbergensis. 13

hominum radices egerit, non nisi cum summa difficultate euelli possit. Extant illustria sacrarum literarum utriusque instrumenti testimonia, quibus DEVS illud approbat & sibi placere testatur. Apostolus certe nō recipit Episcopū nisi maritum *καὶ μιᾶς γυναικὸς ἀνδρᾶ*, non vagis indulgentem libidinibus, non frena laxantem prauā cupiditati, sed uno & legitimo thoro contentum, ex quo liberos procreat, quos & ad pietatem & omnem honestatem erudiat, *ἐν ὑποταγῇ μετὰ πάσης σεμνότητος*, & qui fidelem agat œconomum & industrium patrem-familiās, *τῷ ἰδίῳ ὄντι καλῶς προϊστάμενον*, tanquam certissimum argumentum & infallibile iudicium ex quo colligi possit, quid de ipso in publica Ecclesiæ administratione expectari debeat. *Ἐιδε τις τῷ ἰδίῳ ὄντι προσῆναι ἔκαστος, πῶς ἐκκλησίας θεῆς ἐπιμελήσεται;* Qui sibi malus, cui bonus? Idem Ius & Ministris concedit inferioribus, *ὡς ἐστὶν μιᾶς γυναικὸς ἀνδρᾶ*. Taceo sacerdotium veteris Testamenti, taceo Prophetas & Apostolos, quos omnes vix uno aut altero dempto, maritos fuisse constat. Eos qui ab illorum excessu proximi in locum illorum successere volens omitto. Hoc unum addo coniugium sacerdotum aliquot seculis ab ascensu Christi ad cœlos in orbe Christiano, paucis reclamantibus persistisse, & ea dignatione habitum, ut vxores eorum maritalis adiunctæ & in publicarum donationum instrumentis testimonij loco insertæ honesto vocabulo PRESBYTERISSÆ nuncupatæ sint. Neq; id inter plebeios tantum sacerdotes obtinuit, sed & ipsis Archymistis solenne fuit. Legimus enim GEBOLIBVM quendam patre GEROLDO à Saxonibus in prælio occiso in sede Moguntina successisse. *Qui cum necem patris aliam*

*1. Timoth. 3.*

*v. 2. 4. 5.*

*Tit. 1. v. 6.*

*AMBROSIVS*

*in 2. ad Cor. 11.*

*pag. 316. scribit*

*omnes Apostolos*

*fuisse coniuga-*

*tos, Paulo & Io-*

*han. exceptis.*

*AVENTINVS*

*Annalium lib. 5.*

*pag. 564. in hi-*

*storia HENRI-*

*CI 4. circa an-*

*num Christi,*

*M. LXX. 1070.*

*Idem Annalium*

*lib. 3. pag. 295.*

tima

14 Oratio funebris D. M. Christophori

tima via ulcisci non posset, Saxonem qui patrem interemerat sub fide ad familiare colloquium euocatum, ex insidijs perfidè necauit, addito hoc cruento elogio:

*Accipe iam ferrum, quo patrem vindico charum.*

Qua quidem de causa ab Imp. cuius tū intererat locō motus fuit. Sed ad id unde digressi sumus nostra redeat oratio. Copulauit sibi noster hic accedente patris decrepiti sanè non consensu solū, sed & cohortatione, stabili coniugio, ΑΠΟΛΛΟΝΙΑ ΜΤΑ μίειον ἀρετῆς, foeminam lectissimam, forma corporis, acumine ingenij & morum honestate præstantem, MATTHIÆ HERMANNI cuius olim Kürchensis primarij filiam, amitam meam, Magistri CASPARI THVMMI WOLFSCHLVGERI viri varia rerum scientia instructi vicini sui relictam viduam, iuuenulam adhuc, sed multis onustam liberis, senos enim utriusque sexus pari numero ex priori marito sustulerat. Neque fuit sterile iteratum hoc coniugium cum sequente decennio ex eadem foecunda matre totidem ferè, vno minùs, liberos susciperet. Quos omnes & singulos in familiam adscriptos nullo obseruato discrimine, æquè paterno complexus affectu domi suæ benignè fouit, enutriuit, educavit. Et temporis successu filios partim ad honesta opificia adhibuit: Alios felicioribus ingenijs præditos, literarum studijs consecrauit, Filias honestis matrimonijs collocauit. Ex omni numero hodie num superstites sunt M. GOTFRIDVS THVM. GEORGIVS & M. CHRISTOPHORVS BINDERI fratres uterini amitini mei. Quorum hic RATISPONÆ Ecclesiæ Minister, singulari eruditionis & illustri doctrinæ fama conspicuus floret: Illi verò in agro Wirtenbergico non minori cum fructu concreditas Ecclesias erudiunt.

Elu-

Binderi Abbatis Adelbergensis. 15

Elucet inde natiua viri huius bonitas, qui quam alij defugiunt liberorum copiam, utpote rei familiari detrimentosam: aut, si diuina forte obtigerit, grauem sibi esse ducunt, sua sponte subiit. Sæpius equidem dicere solitus fuit, non esse ob liberos euitanda aut subterfugienda connubia cum eiusmodi familijs *DEVS ὁ ὀφθαλμοῦ* *Psalms. 68. v. 6.* pater pupillorum & Iudex viduarum largius benedicat. Erecti sanè in *DEVM* animi & bene confidentis firmissimum argumentum: Et quod verbis testatus est, id re ipsa & facto comprobauit. Defuncta enim priore illa, quod Anno nati *CHRISTI*, M. D. LVIII. Nyrtingæ accidit, secundo sibi adsciuit coniugio *MARIAM ERHARTINAM* Ulmensem, *IOHAN. GAILINGII* veterani Theologi viri eruditissimi & apud Botvuaenses Ecclesiastę viduam, foeminam prudentem & industriam, ijsque artibus quibus mariti indulgentiores capiuntur, abundè instructam, eximia quoque medicę artis peritia præditam, quæ & ipsa septem liberis domo secum allatis familiam adauxit, duosque insuper peperit *SAMVELEM* & *SVSANNAM*, quam hodie conspicimus matrimonio iunctam Reuerendo & doctissimo viro *WILHELMO HOLDERO* Antistiti Mulbronnenfi, quo cum mihi verus necessitudo & à puero serè studiorum communio intercessit, morum elegantia & suauitate matri non dissimilem. Ita ut una eademque vice sedecim (nisi me memoria fallat) liberorum adoptiuorum & ex se procreatorum pater extiterit: Quos omnes & singulos adultos & honestis collocatos matrimonijs, domi quenque suę florentes unà cum nepotibus vidit. Præclarum profectò & locuples diuinę benedictionis testimonium pijs & *DEVM* timentibus

C

pro-



16 Oratio funebris D.M.Christophori

*Pſalm. 128.* promiffæ, de qua Pſalmus canit: Beatus omnis qui timet Dominum & ambulat in vijs eius, uxor tua ſicut vitis fructificans in lateribus domus tuæ, & filij tui ſicut plantationes olearum in circuitu menſæ tuæ. Ecce ſic benedicetur vir qui timet Dominum. Benedicet tibi I E H O V A H C X Sion, & videbis filios filiorum tuorum & pacem ſuper Iſraël. Incidit in illud tempus bellum in germania inteſtinum quod CAROLVS V. IMP. non tam ſuoſte ingenio quàm Pontificis impulſu, in ſocios in Religione quos confœderatos vocabant S C H M A L K A L D I C O S ſuſcepit, & ex animi ſententia confecit, captis primarijs fœderis Ducibus.

Religioni igitur, cuius exitio deſtinatum erat bellum, certa clades imminebat. Triſtis ubique rerum erat facies.

Concepta fuit certa quædam norma quæ viſa eſt eſſe accommoda ad conciliandos animos eorum qui in religione diſſidebant, quam intermedio tempore ij qui in doctrina & ritibus aliquid innouaſſent, ſequerentur, donec quid obſeruandum eſſet pleniùs in œcumenica Synodo decerneretur. Ob id I N T E R I M dicta, τὸ μετὰ ſeu interreligio, facietiores interitù nominabant.

Hæc cùm non eos quos ſperauerant Architecſti applauſores reperiret, conati ſunt eam per Tyrannidem ſtabilire.

Deſolata itaque iacebant Eccleſiæ, oberrabant miſeri paſtores incertis ſedibus cum coniugibus & paruulis, neque enim eos recipere tutum erat.

Quibusdam etiam viſ fuit intentata, iniectæ catenæ & compedes, Alij extra fines Imperij proſcripti fuere. Qui exauctorabantur tantùm præclare ſecum actum eſſe

Binderi Abbatis Adelbergensis. 17

esse iudicabant. Neque huius explorationis noster ille  
expers fuit: Edictum enim allatum fuerat, quo manda-  
batur ut aut præscriptam ab Imp. formulam in docen-  
do sequeretur, aut cathedra penitus abstineret. Magno  
id & intrepido suscepit animo, cum quidem nulla re a-  
lia magis, sola excepta numerosa sobole abundaret. Et  
de discessu & alio vitæ genere incundo (de ministerio  
enim Ecclesiæ penitus actum esse videbatur) iam planè  
secum constituerat, sed à quibusdam admonitus ne a-  
bitum acceleraret, aliquandiu substitit.

Tandem etiam cum nullus appareret Missifex à ple-  
be exoratus, conuiuentibus ijs quorum intererat, ad in-  
termissum docendi munus redijt. Ea tamen modera-  
tione seu cautione adhibita ut suggestum non con-  
scenderet, ne limites mandati excederet aut in præscri-  
ptam legem peccasse redargui posset.

Memini ego cum tenera ætate puer patrio more ad  
Encœnia ad illum deducerer, videre me ipsum in pau-  
mento templi stantem, corpore ad altare ex quo sacra  
CHRISTI mysteria dispensantur reclinato & audire  
Ecclesiæ singulari zelo enarrantem illustrem illā Chri-  
sti concionem, qua se pijs & in legitima vocatione am-  
bulantibus, de victu abundè prospecturum, multis e-  
gregijs rationibus testatus est. *Matth. 6.*

Insigne profectò exemplum columbinæ simplicita-  
tis & serpentinæ prudentiæ, ad quam Christus Aposto-  
los suos cohortatus est. *Matth. 10. v. 16.*

Secuta sunt sedatis tempestatibus Halcyonia, qui-  
bus Regioni pax & libertas concessa Ecclesijs tranquil-  
litas restituta fuit. Quæ sub optimo Principe DVCE  
CHRISTOPHORO verè NVTRITIO, reflorescere &

18 Oratio funebris D. M. Christophori

nouas vires acquirere incipiebant. Hoc noster ille liberali otio non ad inertiam neq; ad sectandas illicitas voluptates aut turpem quæstum (quod multi facere solent) abusus est, sed totum se lectioni tradidit, memor illius Apostolici *πρόσεχε τῇ ἀναγνώσει* ATTENDE lectioni, doctrinæ & exhortationi.

Disce ergò quod doceas, obtine eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, ut possis exhortari in doctrina sana & contradicentes conuincere.

Oportet enim Episcopum non tantum docere, sed & discere, quia ille melius docet, qui quotidie crescit & proficit discendo meliora.

Conspicimus hodie quosdam in Ecclesiæ ministerio constitutos ita affectos esse, ut posthabitis & neglectis ferè studijs toti domesticis rationibus occupentur. Quibus hoc solum curæ est, ut plurima habeant nomina in tabulas relata, ut armenta & balantium greges numerent, vineas plantent, agros colant, prata demetant, pœnũ omnem congerant, ut domus sit exornata varia supellectile, parietes nitent, instructus sit lectus genialis, superiniecta preciosa stragula & vario peristromate. Beatum dixerunt populum cui hæc sunt. Sola vacua est bibliotheca, studia frigent. Solet hoc hominum genus ab alijs emendicare & in chartis consignatum habere, quod statis diebus populo proponat, ita ut illis exacto anni curriculo ad circulum oratio redeat. Longè aliter Apostolus suum descripsit *πρῶτιστάμενον*, quem vult præesse cum diligentia, qui instar boni patrisfamiliæ proferat è thesauris suis vetera & noua. Tenacem fidelis sermonis, qui possit exhortari per doctrinam sanam, *ἐλεγκτικὸν δυνάμενον ἐπιτομίζειν καὶ τὰς*

*1. Timoth. 4.  
v. 13.*

HIERONY-  
MVS *ad Nepo-  
rianum, Episto-  
la 2. Tomo 1.  
pag. 8.*

AUGUSTI-  
NVS *de Baptif-  
mo, contra Do-  
natistas, lib. 5.  
cap. 26. Tomo 7.  
col. 47.*

*Rom. 12. v. 8.*

*Matth. 13. v. 52.*

*Titum 1. v. 9.  
30. & 11.*

Binderi Abbatis Adelbergensis. 19

τῆς ἀντιλέγοντας ἐλέγχῃ, καὶ μὴ ἀσχροκερδῇ, turpis lucri *Lege distinct.*  
sectatorem. Negotiatorem enim Clericum, ex inope *88. & 14. q. 4.*  
diuitem, & ex ignobili gloriosum quasi quandam pe-  
stem fugiendam Hieronymus censet. Eiecit Domi-  
nus ementes & vendentes è templo. Et prohibet Apo- *2. Timoth. 2.*  
stolus ne qui deo militant implicentur *ταῖς τῆ βίβλ. πραγ. v. 4.*  
*ματείαις*, vitæ huius negocijs.

Et sanè noster hic, quamuis familiam, quæ indies  
crescebat & augebatur, non negligeret, non tamen ita  
curabat ut studia planè abijceret, vel quò cerui cornua.  
Quin hoc sibi inprimis negotij dari credidit, ut mini- *Coloss. 4. v. 17.*  
sterium quod à Domino acceperat adimpleret.

Totus igitur studijs deditus lectioni vacabat, varios  
authores, quos cum scripturis coniungebat euoluen-  
do. Inerat ei ardens studium cognoscendi varia, con-  
iunctum cum φιλοσοφία, quæ inprimis ad eam rem re-  
quiritur. Nam ut Plautinus ille inquit:

*Qui nucleum esse vult, frangat nucem.*

Cuperent sanè quiuis eruditionis laude excellere &  
celebres haberi, qui tamen labores perferre & tœdium  
variæ & multiplicis lectionis deuorare detrectant.

Assiduus verò hic Noster erat in peruestiganda anti-  
quitate, inprimis aut euoluendis spinosis & lubricis il-  
lorum disputationibus, qui à recto tramite deuiantes  
sacra profanis miscuere, & dum obscura quadam dili-  
gentia philosophiæ principia cum Scripturis confun-  
dunt, id effecere ut ex duobus integris, veluti diuersis se-  
minibus inter se permixtis, tertium quoddam prodiret  
corruptum, spuria theologia, scholastica dicta.

In illorum sanè scriptis tam fuit exercitatus, ut eum  
raro quid fugeret. Et certè magnificanda est orthodo-

20 Oratio funebris D. M. Christophori

xæ antiquitatis cognitio, quæ certo suo modo ad dijudicationem controuersiarum haud paruum momentum adfert scire quid quouis tempore & loco de dogmatibus antecessores statuerint, modò consona scripturis dixerint. Neque enim decet nos nouas opiniones gignere & ea quæ à Maioribus recepta sunt, temere conuellere, quamdiu salua veritate in unitate & consensu veteris Ecclesiæ permanere licet. Præclare enim dictum est à Basilio. Veneranda sunt vetusta dogmata quòd ob antiquitatem ceu canitiem quid habeant verendum.

*Ad Amphilo-  
chium de Spiritu  
sancto, cap.  
29. fol. 109.*

Hæcille exactè recensere nouerat fretus bonitate ingenij & memoria & consignationum suarum, quas locos communes vocant, præsidio.

Neque à studio Iuris ciuilibus abhorrebat, in quo crebra lectione & obseruatione quotidiana tantos progressus fecerat, ut quæstiones sæpè perplexas eorum, qui in hac professione artifices erant, admiratione dilucidè & perspicuè determinaret. Et PAVLO Apostolo non defuit notitia legum & consuetudinum Romanarum actionumq; forensium, quas in sui patrocinium aptè citare nouerat, quibus & Aduersariorum nefarios conatus aliquoties elusit.

Ad hanc tam variam cognitionem comparandam Bibliotheca ei opus erat, quam temporis successu ex optimis quibusque Authoribus sacris & profanis constatam instructissimam heredibus post se reliquit. Verissimè enim dictum est, quod vulgò rudi licet & barbaro dictione circumfertur:

*Hæc*

Binderi Abbatis Adelbergensis. 21

*Haurit aquam cribro qui discere vult sine libro.*

Hoc nomine tandem innotescere & celebris haberi cœpit, qui ei ad dignitates altiores primus fuit gradus.

Virtutis & honoris templa contigua fecerunt veteres. A virtute enim ad honores conscenditur.

Sic noster **HIC CHRISTOPHORVS** nulla aura populari subleuatus, sed unico virtutis & eruditionis nomine commendatus ad altiora euectus est.

*AVGVSTINVS  
de ciuitate Dei,  
lib. 5. cap. 12.  
Tom. 5. col. 306.*

Anno enim nati **IESV M. D. LVII. D. THEODORICO SNEFFIO** ad Academiam Tubingensem translato Præceptori postea & Pastori meo dum in illa Ecclesia Diaconum agerem, successor datus fuit Nyrtin-gæ **SABINÆ BAVARÆ Ducis HVLDRICHI** relictae viduæ oppido dotalitio.

Ibi primo statim Anno primam coniugem **APOLLONIAM**, de qua diximus, amisit acerbo cum dolore, quem tamen ad admirationem usque moderatè ferre visus est.

Commendata ei quoque fuit coniunctarum Ecclesiarum inspectio, cui ea præfuit prudentia circumspectione & animi moderatione, ut breui altiori loco dignus habitus fuerit. Generales vocant, quorum per uniuersum Ducatum quatuor omnino numerantur, qui quidem non ipsi vicatim circumire, sed ad quos ceteri minores per Præfecturas constituti rationes accepti referre solent. Ex quibus ipsi ea quæ ulteriori disquisitione indigent, seligunt, & in Synodo, quæ bis in anno coit, exponunt. Solent & ipsi huiusmodi consultationibus adhiberi & unà cum cæteris quæ facti opus sunt, decernere. Huic muneri diutissimè cum authoritate præ-

## 22 Oratio funebris D.M. Christophori

præfuit, & Synodis plus minus 50. interfuit. In quibus ob eximiam prudentiam variam cognitionem & multiplicem rerum usum attentè auditis & dignè fuit obseruatus. Neque domi tantùm sed & foris ipsius enituit industria. Accidit enim ut eodem, quo diximus Christi Saluatoris Anno Genethliaco, Illustris **GEORGIVS COMES** Wirtembergicus, qui agrum Mompelgardicum & coniunctas in Alsatia ditiones cum imperio obtinebat, moreretur, relicto infantulo filio anniculo **FRIDERICO**, quem hodie Ducali dignitate florentem conspiciamus. Eum Illustrissimus Princeps **DUX CHRISTOPHORVS** paterno complexus affectu ad se receptum benignè fouit, liberaliter educauit, bonis literis excolendum & moribus imbuendum curauit, ditionem tutorio nomine fidelis. administrauit. Ea prima ipsi cura fuit, ut Ecclesiæ ad præscriptum eius confessionis, quæ Augustæ in comitijs, Anno, XXX. **CAROLO V.** Imp. oblata fuit, cuius norma in ordinatione Wirtembergica fideliter expressa est, informarentur. Quo utrobique in **DVCATV & COMITATIB.** utriusque tam politicæ quàm Ecclesiasticæ gubernationis par esset & conformis ratio.

Irreperant eò loci circa initia reformationis pleriq; ex Heluetijs adsciti Doctores qui Tigurinum de S. Synaxi dogma amplectebantur, erat & in ritibus externis, ceremonias vocant, quædam discrepantia. Opus igitur erat viro non tam erudito quàm circumspecto & industrio, qui omnia singulari animi moderatione perageret, ne vel nimia vehementia quenquam offenderet aut turbulentis actionibus statum Ecclesiarum euertiret. Hæc Nostro huic fuit data prouincia, quam in se recepit

cepit & non minori cum successu quàm fidelitate ad-  
ministravit. Neque enim leue putandum est, quod ibi  
gessit: Herculeos sanè labores sustinuit in repurgando  
illo Augiæ stabulo, luctandum illi fuit cum varijs mon-  
stris papicolis, quibus tota abundat vicinia, Anabapti-  
stis, Sacramentarijs, refecanda multa Hydræ capita.  
Non deerat viri eruditi qui dogmata sua acerrimè pro-  
pugnabant, vulgus eam quam à teneris imbiberat opi-  
nionem mordicus retinebat. Hoc opus hic labor erat.  
Sed res ea dexteritate à nostro ita peracta fuit, ut annua  
opera id effecerit ut rebus pacatis & optimè constitutis  
Ecclesijs, quæ ab eo tempore tranquillæ permanferunt,  
magno sui post se relicto desiderio domum quietè re-  
derit.

Instituerat Annis aliquot superioribus Illustrissimus  
Princeps idem & constantis. Christi *Mágnus* IOHAN-  
NES FRIDERICHVS Saxonix Exelector nouam scho-  
lam vel sedem Academiae IENÆ Turingiæ oppido, cu-  
ius primarij Doctores MATTHIAS FLACCIUS Illy-  
ricæ gentis homo, & VICTORINVS STRIGELIVS  
Philosopho Theologus, vir eloquentissimus, origine  
Sueuus, patria Kauffburensis, fortè ex superiorum tem-  
porum actionibus concepta æmulatione de dogmatís  
quibusdam dissidere cœperant, quæ animorum exa-  
cerbatio, cum nemo esset qui se interponeret, nec deef-  
sent, qui oleum, quod dicitur, camino adderent, in a-  
pertum bellum erupit, cum partes dissidentes publica  
disputatione de arbitrij, ut loquuntur, libertate, institu-  
ta, Græcis est *ἀντιθέσεις ἢ ἀντιθέσεις*, hostilem in mo-  
dum inter se conflixissent. Et hic quidem breui Princi-  
pis indignationem incurrit, cuius mandato in custodi-  
cap. 14.

D am



24 Oratio funebris D.M. Christophori

am datus fuit. Intercedebant viri boni qui illum arcta attingebant necessitudine, quorum opera effectum fuit ut Saxonix DVX IOHANNES FRIDERICHVS, II. à Principe CHRISTOPHORO peteret mitti Theologos, qui de causa cognoscerent. Delectus fuit IACOBVS ANDREAS recens renunciatus Tubingensis Præpositus, vir in dijudicandis controuersijs Ecclesiasticis exercitatissimus, cui NOSTER HIC Collega fuit additus. Profecti igitur in Turingiam sua diligentia, non tamen sine labore, id effecere ut compositis rebus & sublatis dissensionibus Scholæ & Ecclesiæ pax & tranquillitas restitueretur. VICTORINVS ex custodia eductus loco & dignitati pristinae (in qua tamen non diu perstitit) restitutus fuit. Et tandem bona Principis gratia dimissi, nec irremunerali discessere. Gesta sunt hæc cum numeraretur annus natiuitatis CHRISTI, LXII. supra mille quingentos.

Beatos Christus pronunciat pacificos *εἰρηνοποιεῖς* qui dissidentes student in sacram conuocare concordiam. Tales enim vocabuntur filij Dei, siquidem hoc unigeniti præcipuum opus fuit, copulare distantia, conciliare pugnantia, reconciliare per sanguinem crucis tum que in terra tum que in cœlis.

Hoc pacificandi studium quantoperè NOSTRO HVIC cordi curæque fuerit, non præsens solùm actio, sed & perpetuus peractæ vitæ tenor, in qua pacificatoris personam sustinuit, abundè testatur.

Addam adhuc unum quod ab instituta narratione nihil discrepat, quamuis temporis facta computatione longè & integro nouennio post cum Abbaciam regresset acciderit. Insinuauerat se M O M P E L I G A R D I in Eccle-

Anno nati Christi,  
1571.

Binderi Abbatis Adelbergensis. 25

Ecclesiæ ministerium DANIEL TOSSANVS vir ingeniosus & eloquens, noster olim in studijs philosophicis condiscipulus CALVINI sectator, qui personam quam gerebat callidè dissimulando tegere nouerat, præ se ferebat ille quidem verbis, ac si à Caluino dissentiret, scèque Caluinistam nominari agrè ferebat, cùm interim dogma ipsius non in sinu tantùm foueret, sed & pro concione, rectè tamen, spargeret, & priuatim in domos irrependo disseminaret. Nota est hæc hæreticorum, aliud verbis prætereundere & aliud in pectore clausum habere, neque videri velle esse quod sunt: Et ut Seruator Christus loquitur dormientibus hominibus seminare *Matth. 13. v. 25.* zizania inter triticum & abire usque dum germinet, id *Verba Chryso-* est, inumbrare seipsos & occultare in principijs quous- *mi in Matth.* que maiorem fiduciam capiant & quodam fauore mul- *Omel. 47.* titudinis iuuentur: tunc enim contagiosa venena intre- *fol. 274.* pidè effundunt.

Re comperta submissi sunt duo illi, quos dixi Theologi uterque in odorandis huiusmodi spiritibus sagacissimus, qui rem penitus explorarent: In concilium igitur ille vocatus præfecto prouinciæ & alijs viris primarijs adhibitis, primùm inficias ire & strenuè negare cœpit, ita ut plerisq; sua pertinaci asseueratione fidem faceret, qui hominem dimittendum neque ulterius urgendum esse censèbant. Ibi vero D. LACOBVS qui certiora cognouerat, eum instar lubricæ anguillæ, ut elabi non posset, prehensum & conuictū eò adegit, ut quod constanter hæctenus negauerat, ingenuè tandem fate- retur, multùm indignantibus ijs qui ipsius patrocini- um susceperant, cùm se turpiter delusos esse cernerent. Is verò cùm alia ratione nocere non posset caninam

D 2 exer-

26 Oratio funebris D.M. Christophori

HIERONY-  
MVS. *Extat in-  
ter Epistolas  
Augustini nu-  
mero 30.*

*Iuxta Appium  
canina excer-  
tur facundia  
vide Chilad.*

ERAS.

exercuit facundiã, & perscripta mordaci Apologiã atrociter in eum inuectus procaci lingua conceptum animi virus euomuit. Sic igitur dimissus, Ecclesia ab illo carcinoma liberata fuit: constituta fuere tum & alia quædam quæ ad illius tranquillitatem conferre visa sunt.

Hæc iam tertia fuit legatio à nostro publica auctoritate ad externos suscepta & feliciter confecta.

Nouissimis quoque ab IMPERATORE NOSTRO RODOLPHO exacto biennio RATISPONÆ habitis comitijs interfuit, cum delectis viris primarijs ex ordinum Prouinciæ Senatu eò ablegatus ut maximi momenti negocia conficerent, quæ prolixè exponere non est nostri instituti.

Ad alia igitur nostra procedat narratio. Inter cætera ornamenta, quæ Wirtembergico agro singulari Dei benignitate contigere non extremo loco habenda sunt Collegia Monastica, quæ hinc inde dispersa mediocri numero conspiciuntur: Ab authoribus in eum finem instituta ut essent seminaria in quibus floreret Religio, vigeret disciplina, docerentur bonæ literæ, & utriusque sexus homines ad veram Dei agnitionem, pietatem & bonos mores educarentur, ne deessent homines idonei, qui & ad Ecclesiæ Ministerium & Reipub. gubernacula adhiberentur. Erat enim rudi illo sæculo vix dum depulsa barbarie & recens plantato Christianismo in Germania densa caligo, ignorantia bonarum rerum maxima, Doctorum hominum penuria summa. Eo fine Monasteria fundata & Sacerdotum collegia instituta atque à Magnatibus amplissimis redditibus locupletata fuere.

Testatur id Lex à CAROLO I. ex Germanis Imperato-

ratoribus, qui ob rerum à se gestarum amplitudinem  
 MAGNI cognomen sortitus est, promulgata, quâ præ- AVENTINVS  
 cipit ut Monachi & Sacerdotes literis sedulo operam Annalium lib.  
 darent in omnibus contubernijs Monachorum & Epi- 4. fol. 368.  
 scoporum ædibus pueros docerent. In Collegio FVL-  
 DENSI vetustissimo enutritus fuit HILDEBERTVS se-  
 di præfectus Moguntinæ, vir præter vitæ sanctitatem, li-  
 teris illustri, cuius opera OTTO I. ad Imperij fastigium  
 euectus fuit. Huius colonia est in nostro orbe HIR-  
 SAVGIA antiquissima schola & instructissima, biblio- N. VCLERVS  
 theca olim insignis, quæ demum ad concilium Basili- lib. 2. generat.  
 ense auecta ex eo nunquam comparuit. 32. fol. 664.

Duravit ea res aliquot seculis donec adaucta super- I. Tritten-  
 stitione & verbo DEI sincero obscurato creuit opinio hemius.  
 meriti, ut plerique suas facultates eò conferrent in re-  
 medium animarum quo in consortium bonorum ope-  
 rum, precum, ieiuniorum, vigiliarum, abstinentiarum  
 & huiusmodi, ἐντάλμασφι ἀνδρώπων confraternitatem  
 vocarunt, admitterentur, quibus testi & ad Tribunal  
 Dei citati examen severæ iustitiæ impunè euaderent.

Inde accidit ut à prima institutione in manifestum  
 abusum prolaberentur, & opibus cum dignitate accre-  
 scentibus, neglectis studijs euaderent britannea lustra  
 potius, in quibus ociosi ventres alerentur, qui testi larua  
 & externa quadam religionis ostentatione, fucum ve-  
 rius dixeris, aduenas hospitio exciperent, negotiatio-  
 nes exercerent, opes suas stabilirent, & ad imitationem  
 Principum secularium ἐνεργῆται salutarerentur. Is hodie-  
 no die Monasteriorum sub regno Pontificio status est.

Fœdam hanc profanationem optimus Princeps re-  
 ligioni & iustitiæ instaurandæ natus DVX CHRISTO-

## 28 Oratio funebris D.M.Christophori

PHORVS sublatam eaque pristino nitore restituta esse voluit.

In omnibus igitur & singulis ditionis suæ masculini sexus monasterijs ludos literarios aperiri mandauit, in quibus vnâ cum sacris eruditæ linguæ *ἑλληνικῆς* dictæ & bonæ artes traderentur. Pueris ex omni prouincia delectu habito qui & ingenijs excellerent, & bonam præ se ferrent indolem magno numero hinc inde distributis. Dicitur non potest quam uberes ex hoc fonte riuus profluxerint, qui non in hanc nostram prouinciam solum deducti, sed & ad exteros deriuati uniuersam ferè Germaniam irrigarunt, testantur cathedræ, loquuntur pulpita, testes sunt tot doctissimi viri, qui passim in Academijs, Principum & magnatum Aulis, primarijs ciuitatibus eximie eruditionis laude celebres *ὡς Φωσῆρες* cum dignitate resplendent, qui se uno ore huic puerili educationi & institutioni plurimum debere fatentur, eiq; studiorum suorum primordia & progressus acceptos referunt. His præfecit extinctis prioribus illis monasticæ professionis hominibus viros graues ætate eruditione & morum integritate præstantes, non fœdis amplexibus pollutos, sed honestos maritos, qui cum auctoritate præessent. Talis erat VALENTINVS ille VANNIVS primus post institutam Manasteriorum reformationem Mulbronnæ ABBAS, uniuersæ antiquitatis peritissimus, methodi artifex singularis, cuius formam in concionibus popularibus venustissimè exprimere nouerat.

Talis erat HIRSAUGIÆ HENRICVS WEICKERSREYTERVS, candidum pectus, Theologus sincerus, qui sacrarum literarum peritiam non in subtilium questionum

Binderi Abbatis Adelbergenfis. 27

ftionum & argutarum difputationum cauillationibus vana quadum ingenij oftentatione collocabat, fed vitæ fanctimonia & honefta morum difciplina exprimere ftudebat. HERVS olim meus dum ipfo Præfuli Scholæ ibi ad tempus præeffem de me bene meritus, fit eius in æternum Chrifto Seruatori confecrata memoria.

Et qui hodie num BEBENHVSII fuperftes eft fapientia, eloquentia, rerum cognitione & ufu præftantiffimus, longæuus ille EBERHARDVS BIDEMBACHIVS.

Hi veteri inftituto non fæcra tantum tractant, fed & ad confilia & deliberationes publicas adhibentur, & in conuentibus honoratiorem locum obtinent. Ad eum planè modum, ut & Prophetæ olim in DEI populo à pijs Regibus in arduis fuorum regnorum negocijs confulti fuère. Ad hoc dignitatis faftigium NOSTER ILLE CHRISTOPHORVS iudicio & voluntate Illuftriffimi Principis CHRISTOPHORI euectus fuit. Extat inter cætera opulentum cœnobium nobiliffimorum olim Sueuiæ DVCVM monumentum exiguo diftans intervallo ab HOHENSTAVFFA, quæ familiæ illius dum ftaret fedes erat, nunc defolata iacet: ADELBERGA fortè ab aquila, quæ ab antiquis inde temporibus Romani Imperij cuius illi ἀγίωμα gerebant in figne fuit, denominata. In hoc ille iufus eft domicilium immigrare, in quo ABBATIS in fignitus titulo uno & tringinta annis & aliquot menfibus continuis vixit. Accidit hoc fub Annum nati Chrifti LXV. fupra feſquimilleſimū.

Etſi (*inquit Apoſtolus*) decem millia Pædagogorum *1. Corinth. 4.* habueritis in Chrifto, at non multos patres (*habetis.*) *v. 15. & 16.*  
In Chrifto enim IESV per Euangelion ego vos genui.  
Pre-

## 28 Oratio funebris D.M.Christophori

Precor vos igitur imitatores mei estote. Hi sunt AB-  
BATES quorum hæc est præ eminentia & dignitas, ut  
sint patres spirituales, patrum vices expleant, ut patrū  
officio fungantur, liberos gignant non ex mortali semi-  
ne, sed ex immortali per sermonem Dei viuentis & ma-  
nentis in æternum.

Hoc ille quoad vixit sedulo est executus: Scholam,  
quæ ibi semper fuit florentissima, rexit, non tantum ut  
*ἐργαστήριον* qui institutum opus per Præceptores urge-  
ret, & purerorum studia moderaretur, sed & ipse doce-  
bat ferè quotidie, modo adesset, ea sedulitate ut nec va-  
letudini quidem parceret. Præceptoribus viam docen-  
di expeditam summa animi lenitate demonstrabat, iu-  
niorum scripta ipse inspiciebat, strenuos publicè col-  
laudabat, ut alios ad parem diligentiam accenderet, tar-  
dioribus increpando calcar addebat.

Neque ista sedulitas suo caruit successu, cum ex hac  
schola intra tot annos aliquot centuriæ eruditorum a-  
dolescentum tanquam ex equo Troiano prodierint,  
quorum quidam celebres euasere, plerique hodie Ec-  
clesiis & Scholis cum dignitate præesse conspiciuntur.  
Conciones sacras singulis septimanis binas habuit, ut  
Ecclesiam erudiret, quas ea arte & industria expoliebat,  
ut in ijs exprimeret *ὑποτύπωσιν ὑγιαίνοντων λόγων* for-  
mam sanorum verborum, quæ iuniores obseruarent &  
successu temporis in rem suam conuerterent. In consi-  
liis & deliberationibus publicis non erat præceptus, sed  
circumspectus & prouidus, ut non ea tantum, quæ ante  
pedes erant, videret, sed & longè euentura prospiceret.  
Quare effectum est, ut momentis causarum & actionū  
probè expensis & ponderatis ad propositum scopum  
proxi-

proximè collimaret. In dicenda sententia eam adhibuit exacti iudicij maturitatem, ut nihil proferret quod non idoneis rationibus comprobaret, aut legibus & æquitati consentaneum esse demonstraret, aut denique exemplis similibus, vel ex antiquitate aut medio rerum usu petitis illustraret: Et quam omnino conceperat sententiam sermonis copia & splendore verborum ita explicabat, ut quod vellet facilè persuaderet. Vnde eam sibi apud plerosque, nec infimæ sortis homines, virtutis & sapientiæ opinionem conciliauit, ut sua consilia & actiones ad ipsum tanquam arbitrum referrent eiusque censuræ subijcerent, & in rebus arduis nihil ipso inconsulto susciperent. Propositi semper fuit habitus tenacissimus, ita ut quidam hanc eius perseverantiam pertinaciam interpretarentur, quæ non erat nisi *παρρησία* animi erecti & in bona causâ sibi optimè confidentis.

Et quod iuuenis facere cœpit in eo senex perseveravit, ut lectioni intentus varios auctores magna copia deuoraret, auidus librorum helluo. Solebat eos legere, quos cæteri negligenter, & qui alijs vix de nomine noti essent.

Memini cùm ante annos aliquot inexpectatus hospes improvise aduenirem deprehendere me ipsum præ manibus habentem Gersonem Cancellariû olim *Tomo 5. Genes. si fol. 257.* Parisinum, quem inter superioris seculi Pontificios scrip- *Tomo 6. Genes. si fol. 28.* tores optimum *Γεροντευος* L V T H E R V S prædicabat, ut in perplexis & perturbatis conscientijs extricandis & erigendis sedulò elaborauerit. Multùm quoque operæ posuit in cognoscendis exulceratissimi nostri seculi controuersijs & inspiciendis scriptis polemi-

E cis,



30 Oratio funebris D.M. Christophori

cis, quæ singulis mercatibus ea copia proueniunt, ut hominem ociosum & uni huic rei intentum defatigare, adeoque nauseam conciliare possent.

Horum pleraque percurrit, & ea quidem diligentia, ut ex ijs capita primaria seu neruos causæ exactè recenseret, & quid in quoque vel probandum vel improbandum esset, copiosè explicaret.

Audiui aliquando cùm ex Calvinistarum schola de eodem argumento diuersorum authorum varia scripta prodijissent, ipsum ita pronunciare, ut diceret, ea instar vulpium Samsonis caudis connexis capitibus in diuersa abeuntibus, *δὲς Δε πασῶν* discrepare, & solidius euertere non posse, quàm si monstratis *ἀντιλογίαις* & ob oculos positis varijs contradictionibus ipsi inter se committerentur.

Solitus fuit quandoque, ut & ingenium & stylum exerceret certa quædam capita, *ῥήσεις* vulgò vocant, conscribere, quibus de præcipuis dogmatibus, more Academico in utranque partem diserebat. Eas aut ad amicos mittebat, aut Ecclesiarum Ministris in priuatis ipsorum congressibus ventilandas proponebat, ut facta sententiarum collatione veritas certius elucesceret. Fuere inter illas & Sacramentariæ quædam, in quibus quod aduersæ partis rationes acrius urfisset, quibusdam suspensus esse cœpit, ut qui dogmatorum fauere, adeoque patrocinari vellet.

Id ubi certis indicibus rescivit, ita se expurgauit, ita suam mentem sententiamque explicauit, ut omnibus cumulatiuè satisfaceret, & de se conceptam sinistra opinionem ex animis hominum euelleret.

Rem familiarem ita curabat, ut nihil rerum necessarium

Binderi Abbatis Adelbergensis. 31

riarum deesset: neque tamen multum abundaret, contentus aurea illa mediocritate, quam Apostolus fidelibus summo perè commendauit: Quæstum esse longè maximam pietatem cum animo sua sorte contento. Nihil enim in mundum intulimus, videlicet nec efferre quicquam possumus. Sed habentes alimenta καὶ σκευάσματα his contenti simus. *1. Timoth. 6. v. 6. 7. & 8.*

Domicilium ipsius erat, veluti asylum ad quod quibusvis opis indigi & consilio destituti confugiebant, neque visus est, quispiam tristis inde recedere, qui non aliquid auxiliij aut solatij, rebus suis quantumuis afflictis & desperatis, reportaret. In cibo & potu modico contentus erat, vini natura parcissimus, Νηφάλαιος ut nunquam, neque inter amicos quidem vel ad hilaritatem bibere conspectus fuerit. Hac victus ratione moderata, diætam vocant, valetudinem conseruauit, ut semel tantum, per omnem ætatem grauius egrotauerit, cum diuturna & grauissima febris iactaretur. Mores erant honesti, conuersatio suavis, grauitate mixta, sermones sale conditi. Vita domestica plena fuit pietatis erga DEVM & officiorum dilectionis erga proximum. Speculum in quo lucebat vera Dei agnitio, fides ἀνυπόκριτος, charitas non fucata, vera animi humilitas, mansuetudo, tolerantia in aduersis, constantia & veritas, aliena ab odio, liuore, superbia, iniustitia, auaritia, libidine.

Hisce moribus ætatis annos eò produxit, usque dum extremam metam vitæ hominum diuinitus destinatam ferè contingeret, de qua Psalmus canit: Dies An- *Psalm. 90. v. 10.* norum nostrorum, LXX. Anni, & si in fortitudinibus sunt, LXXX. Anni, peruenit enim ad annum ætatis, LXXVII.

E 2

Quam-

32 Oratio funebris D.M.Christophori

Quamuis autem ab ineunte ætate uniuersæ vitæ rationes, ita instituerit, ut integrum eius curriculum perpetua ipsi esset mortis meditatio, eò tamen diligentius se præparauit, quò propius ea sibi imminere visa est. Et ingrauescente quidem ætate muneribus se abdicauit publicis, à Synodo missionem efflagitauit, à consilio ordinum prouinciæ vacationem petijt, qua ægrè impetrata, splendido honorario virtutis & industriæ nomine remuneratus fuit. Domi docendi munus in Schola & in Ecclesia nunquam intermisit, neque unquam ita agrotare visus est, ut acerbiores dolores sustineret, sed vires corporis & animi languescendo paulatim decreuere.

Domui suæ in tempore prospexit, rebus ita constitutis, ut ne quid inter liberos discrepantes dissidij oriretur.

Filijs diligentiam & sedulitatem in faciendo officio commendauit, studium pacis & concordiaæ sedulo inculcauit, testatus nullo se vitæ præsentis desiderio teneri, solùm se cum Apostolo cupere dissolui & esse cum Christo.

Testes huius desiderij sunt nouissimæ illæ literæ, quas non longè ante ad Superattendentem Weickershaimensem, suum ex priuigna generum dederat, cuius ingenio mirificè delectabatur, quibus inter cætera his ei extremum valedixit verbis, IN ALTERO NOS SECVLO RECOGNOSCEMVS.

Præceptoribus & Scholæ conuocatis, documenta ad regendos mores & rectè instituendâ vitæ rationem idonea præscripsit salutari viatico se muniuit, edita imprimis luculenta fidei suæ confessione, qua se ciuem esse nostrarum Ecclesiarum & in ea doctrina, quæ in illis  
 ex scri-

Binderi Abbatis Adelbergensis. 33

ex scriptis Prophetis & Apostolicis de omnibus & singulis Christianis capitibus publicè sonat, quamque hætenus voce & calamo comprobauerit, acquiescere, imò constanter perseuerare & ad Tribunal Christi sisti velle difertè testificatus est.

Hanc professionem prolixa & graui oratione copiosè explicauit, cuius summā paucis hoc in loco repetere volui. Sicque integra mente cæterisque sensibus inter manus suorū, nullo ferè cum sensu mortis in ardenti inuocatione filij Dei, passis ad sidera palmis placidè obdormiuit, & spiritum Deo Creatori, à quo utendum acceperat, reddidit. Pridie Idus octobris præsentis, XCVI. Anni.

O acerbam & crudelem mortem, quæ tam graue nobis vulnus infixisti, tanto nos bono priuasti, patriam consiliario, Ecclesiã pastore, scholam moderatore, uniuersam familiam patre fidelissimo orbasti: sed agnoscamus manū Dei. Præfagia hæc certè sunt tristissimarum calamitatum. Auferam (minatur Dominus per Prophetam) de Ierusalem fortem & virum bellicosum, Iudicem, Prophetam, diuinum & senem, quinquagenarium, honorabilem vultum, consiliariū & sapientem. Ruit enim Ierusalem & Iehuda concidit, quia lingua eorum & opera eorum contra Iehouah ad irritandum oculos gloriæ eius.

Vade ergò (dicit electis suis) popule mi, ingredere cubicula tua & claude ostium tuum post te, absconde te ipsum paululum ad momentum, donec transeat indignatio. Ecce enim Iehouah egreditur de loco suo, ut visitet iniquitatem habitatoris terræ. Congregantur autem viri misericordes ad populum suum, nec est qui

34 Oratio funebris D. M. Christophori

intelligat, quod propter malum (venturum) congregatur iustus ille. Impendent magnæ mutationes, stat lacerum Imperium, domi pax est incerta, foris apertum bellum geritur, imminet ceruicibus nostris Turcica Tyrannis, quæ limites Germaniæ communis patriæ proximè attigit, ut non pro exteris amplius, sed pro aris & focis nobis pugnandum sit.

2. Paralip.  
20. v. 12.  
Esa. 37.  
v. 29.  
Psalm. 79.  
v. 8.

TE I E S V C H R I S T E fili Dei Mediator & Redemptor noster ardentibus votis precamur, miserere afflicti tui populi, in nobis quidem non est tanta fortitudo, ut possimus resistere huic multitudini, quæ irruit super nos, sed cum ignoramus quid agamus, hoc solum habemus refidui, ut oculos nostros dirigamus ad te. Pone Tyranno circulum in naribus, & frenum in labijs eius, & reduc in via per quam venit. Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum. Citò anticipent nos misericordiam tuam, adiuua nos D E V S salutaris noster, propter gloriam nominis tui, & propitius esto peccatis nostris, propter nomen tuum, ne fortè dicant in gentibus, ubi est D E V S eorum. Protege nos à furoribus Pontificum, I E S V I T A R V M sanguinarijs machinationibus Sæctariorum tribunitijs & turbulentis actionibus, conserua quæsumus Ecclesiam tuam, & concede ei salutaria *εργα*; sanctifica nos in veritate tua, fac nos esse vasa misericordiam tuam, quæ nomen tuum portent in his terris, & tandem cum electis in cælum sanctorum Angelorum in omni æternitate benedicant, laudent, ce-

lebrent, glorificent *εις τας αιωνας των*

*αιωνων Αμην.*

F I N I S.